



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

2 [i.e. 3]. De modo producendi testes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

Julia à testimonio vis publicæ removeat eam dumtaxat, quæ palam corpore quæstum fecerit, l. 3 § penult D eod. & in iudicio adulterii repellat damnatam eiusdem criminis, d. l. ex eo Nam inde à contrario facile colligitur, mulierem, ab his criminibus alienam, etiam in criminalibus idoneè testificari, Weseemb. D. h. t. sub num. 3 Multò magis admitti debet, si de crimine civiliter agatur, etiam contra Clericos, siue per viam inquisitionis siue per viam denuntiationis vel exceptionis, c. Quoniam 5. hoc t. Ratio autem, cur de iure civili in testamento non admittatur, & tamen admittatur in causa criminali, quæ est maioris præiudicii, est hæc, quia testamenta olim fiebant calatis comitiis, in quibus mulieres jus suffragii non habebant.

24. Alioqui laicum ad testimonium ferendum contra Clericum in criminali causa non esse aliquatenus admittendum, rescripsit Pont. in cap. De cetero 14. h. t. quoad plenam scilicet probationem. Nam admittitur ad iudicium faciendum, sufficiens ad torturam, secundum Panormit. ibid. num. 5. Excipit tamen Lopez ad ea. 4. Pract. crimin. Bern. Dias, decem casus, quibus laico permittitur accusare Clericum, nempe hæresis, læsæ Majestatis, dilapidationis bonorum Ecclesiæ, simoniæ, sacrilegii, notorii criminis: item dum semel admittus est laicus, dum suam vel suorum injuriam persequitur, vel Parochianus suum pastorem denuntiat, quia illius interest habere bonum: licet Canon. 811. q. 7. non permittat laico accusare suum superiorem, nisi in fide erraverit: & demum dum patronus accusat presbyterum, malè curantem aut dilapidantem bona Ecclesiæ.

25. De Monachis, Canonicis regularibus & aliis Religiosis quaeritur, an possint esse testes? Et verius est, posse: quia licet arceantur à negotiis secularibus, veluti iudicandi munitate, tutela, procuratione, & similibus aliis actibus atque officiis civilibus ac forensibus, Can. Monachi xvi. q. 1. cap. 2. sup. De postulando & rito t. No Clerici vel Monachi sacul. negot. &c. non tamen inveniuntur removeri à testimonio ferendo, cum non sit contra eorum professionem prodere veritatem, ac proinde admitti debent, arg. d. l. 1 D hoc t. Aliàs neque in causa Ecclesiæ suæ, vel Monasterii testificari possent;

quod falsum esse patet ex can. Super xlv. q. 2. c. Cum Nuntius 12. & cap. Nuper 51 h. iis. Etsi Christus 26. inf. De iurejurando. Requiritur tamen licentia superioris, cum ipsi velle aut nolle non habeant; sitque eorum voluntas in arbitrio superioris, c. Si religiosus, c. Si Abbatem De elec. in 6. c. fm. De sepulturis in 6.

26. Denique, ut alios omittam, minor xx. annis in criminalibus nequit esse testis, quia habetur iudicium imbecillioris, lubrici & temerarii c. In testimonium 20. D. h. t. Farinac. q. 58. n. 10. & seqq. Mascar. Concl. 12. 46. n. 5. 6. & seqq. In civilibus vero, præsertim exiguis, testificari non prohibetur Farinac. & Mascar. d. locis.

27. Illud quoque postremo loco hic observandum est ex Zypæo lib. 2. De iure Pontif. novis. Desibus, moribus passim obtinuisse, ut testem Judex non repellat, nisi quid ei pars opponat, aliàs suspectum haberi. Insuperque Principem nostrum anno 1611. statuisse, ne probationes per testes recipiantur in negotiis excedentibus 300 florenos.

## §. II.

## De modo producendi testes.

1. Primò actor vel reus petis admitti ad probationem.
2. Et dari terminum probandi ac producendi testes.
3. Dein adversario citato, & comparenti: iudici exhibet articulos.
4. Adversario licet obijcere in personas testium & repellere.
5. Idque ante eorum receptionem & examentulariter.
6. Alias statim ad dicendum testimonium admittendi sunt.
7. Examinabit eos iudex vel Commissarius illius.
8. Debet in primis juratus esse testis.
9. Quod tamen iuramentum ex causa remitti potest.
10. Modus & forma examinandi.
11. 12. Testis debet reddere rationem dicti sui.
13. Dummodo interrogetur expresse vel implicite.
14. 15. Præterquam in certis causis. ut in criminalibus, &c.
16. Examine factò tunc reus admittitur ad probationem obijectarum.
17. Et ad probationem actor.
18. Quarta productio testium non admittitur regulariter.
19. Hinc



19. Hinc publicantur attestations: Et sic copia par-  
tium.  
20. Vi contradicans depositionibus testium.  
21. Post publicationem non admittuntur testes.  
22. Publicatio tamen non est de substantia proces-  
sus.

**D**Einceps videndum de modo producendi  
& recipiendi testes.

In primis si actor per testes velit probare suam  
intentionem, vel reus suam exceptionem, petere  
debet in iudicio ab ipso Iudice admitti ad pro-  
bandum & dari sibi terminum probandi, id est,  
statui sibi diem intra quem testes suos producat,  
Gall. 1. Observ. 96.

2. Eoque facto, infra statutum terminum  
testes producendi sunt: citato tamen ante ad-  
versario suo, ut videat testes produci & iurare, &  
2. hoc. ut, si qui forre habeat, quod contra per-  
sonas eorum obiciat, quò minus idonei sint ad  
testimonium ferendum, id ante eorum receptio-  
nem vel examen vel saltem publicationem depo-  
sitionum proferat. Alio qui productus & re-  
ceptio testium facta, non evocato aut citato ad-  
versario, est nulla, ut pote contra ordinem iudi-  
cium facta, d. cap. 2. in fine.

3. Quod si adversarius citatus compareat,  
tunc qui produxit testes exhibet ei ac Iudici ar-  
ticulos, super quibus eos recipi arque examinari  
possulat, & præterea nomina testium.

4. Si quid deinde adversarius obiciat in  
personas testium, quod probatum eos a testi-  
monio repellat, in arbitrio erit Iudicis, prout  
ei æquum videbitur, vel admittere prius ad-  
versarium ad probandum obiecta, suspenso in-  
terim examine, vel contra, dilata probatione  
obictorum, examinare testes, cap. Ex parte 7.  
hoc tit. Nisi forte obiciens obiecta in conti-  
nenti probare offerat, dicit cap. Ex parte versic.  
Tandem; vel in dilatione examinationis aut pro-  
bationis obictorum periculum esset interit-  
us testium, Specul. tit. De testis §. 1. versic. quin  
ergo.

5. Sin autem citatus adversarius & præ-  
sens nihil obiciat in personas testium ante eo-  
rum receptionem vel examen, vel saltem an-  
te publicationem depositionum; regulariter  
non auditur post illarum publicationem obii-  
cere quid volens, quia tacendo usque ad publi-

cationem censetur exceptionibus adversus testes  
renunciare & consentire in eisdem, c. Qui tacet  
De R. l. in 6. Nisi vel iurejurando affirmet, quòd  
malitiosè ad hoc non procedat, cap. Præsentium  
31. h. tit. vel ante publicationem protestatus fue-  
rit, quòd sibi reservet jus obijciendi, quòd vide-  
bitur, dicit cap. Præsentium, versic. Nisi, vel do-  
cuerit exceptiones, quas publicatione facta ob-  
ijcere vult, de novo tunc ad suam notitiam per-  
venisse, d. cap. Præsentium, vel nisi præbaverit le-  
gitimè, quòd volens eas ante publicationem  
obijcere, impeditus à Iudice fuerit, (quo casu e-  
tiam post sententiam obijcere eas poterit, Glossa  
in cap. Cum 1. & A Canonici, in V. juramenta in fi-  
ne inf. De sententia & re iudicata,) vel denique  
nisi sint tales exceptiones, quæ post attestationem  
publicationem ipsos testes inhabilitent,  
veluti quòd testis sit excommunicatus, Judæus,  
hæreticus, & similes, quibus renunciare non in-  
telligitur Felinus in a. c. Præsentium col. 2.

6. Si verò testibus productis nihil obijcia-  
tur, quo eorum testimonia eventur, statim  
ad testimonium dicendum admittendi sunt.  
Item adversarius, si velit, potest exhibere Judi-  
ci interrogatoria sua, ut vocant, super articu-  
lis sibi prius exhibitis, secundum quæ petat à  
Iudice testes interrogari & examinari, cap. Præ-  
sentium §. testes eod. in 6. Quæ idcirco fiunt, ut  
si forte testes à producente sint subornati, id  
Iudex, insequendo interrogatoria adversæ  
partis, facilius deprehendat. Et propterea ca-  
vere Iudex debet, ne istorum interrogatorio-  
rum adversarius consequatur copiam, eaque  
occasione testes suos ad falsitatem instruat &  
per subornationem fraus committatur, Gloss.  
in dicit §. testes, Calvol. in Praxi §. Interrogatoria  
concl. 1.

7. Testibus itaque ad testimonium dicen-  
dum admittis, & tam partis produceutis arti-  
culis, quam partis adversæ interrogatoriis Iudici  
exhibitis, Iudex ipse testes receptos diligen-  
ter examinabit, vel, si gravioribus detineat-  
ur negotiis, aut alias commodè eos exami-  
nare non possit, examen alteri, cui volet, ido-  
neo tamen & discreto, vel etiam Iudici terri-  
torii, in quo testes degunt, committet. c. Si qui  
testium §. hoc tit. l. Iudices Cod. De fide instru-  
menti §. scilicet civiliter agatur; nam in cri-  
minalibus hæc commissio non est permessa.



*Auth. apud eloquentissimum Cod. De fide instrument.*

8. In ipso verò examinis limine jubebit Judex, vel is, cui examen testium demandatum est, præsente adversario, vel etiam eo absente, si citatus comparere noluerit, *d. c. 2. versic. si verò noluerit*, testes jurare, quòd neque odio, neque amicitia, neque favore, neque aliquo commodo, quòd habuerint, vel habituri sint; inducti, sed solius veritatis amore moti, ad ferendum testimonium venerint, quòdque super omnibus, de quibus interrogabuntur, rei veritatem, prout secundum conscientiam, noverint dicturi sint, *cap. Quoniam §. 2. c. Tuis questionibus, 39. c. Nuper §. hoc t. l. jurisjurandi Cod. eod.* quòdque depositiones suas ante legitimam earum publicationem neutri parti manifestabunt seu aperient. Nam testi non jurato, licet is religiosus esset, non creditur in præjudicium alterius; *d. cap. Tuis questionibus & d. cap. Nuper* Idque maxime obtinet in criminalibus.

9. Cum autem hoc iuramentum non sit de calumnia, sed de veritate dicenda, respiciatque favorem partis, pro qua testis producitur, & non publicam utilitatem remitti partium consensu potest, prout plerumque remittitur personis illustribus, aut in aliqua dignitate vel officio publico constitutis, *per text. in d. cap. Tuis questionibus & ibi Glos. in V. remittatur*: nisi ageretur de præjudicio publico, aut animarum, ut in causa matrimoniali. Vide *Gaill. 1. Obser. 101.*

10. Examinabit autem Judex singulos testes separatim, remotis litigantibus, *cap. Venerabili §. 2. h. t. & assumptis tam producentis articulis, quam adversæ partis interrogatoriis, unumquemque interrogabit, cuius sit ætatis & conditionis: an litigatores noverit, & qua notitia, vulgari an aliâ; an uni parti magis faveat quam alteri; an sit unius aut alterius consanguineus vel affinis, an ex testimonio suo commodum speret, vel incommodum timeat. Item interrogabit de loco, tempore, visu, auditu, credulitate, scientia, fama, certitudine, & aliis similibus causæ circumstantiis, cap. Cum causam §. 7. h. t. §. 11.* & potissimum de ratione sui dicti seu depositionis sive scientiæ: aded ut, si producentis adversarius in suis interrogatoriis id fieri iusserit, & examinatus omiserit dolere vel negligentia, parti adversæ ad omne

interesse teneatur, Panormit. in *d. cap. cum Causam*: ut etiam, si testis, interrogatus rationem sui dicti, eam non reddiderit per aliquem ex quoque sensibus, qui negotio & facto, de quo interrogatur, congruit, Facinac. §. 70. nu. 128. Menoch. *De arbit. §. 25. n. 3.* depositio ejus, præsertim in criminalibus, sit nulla, *l. Solus Cod. eod.* Si verò reddiderit rationem aliquam, sed non probabilem, testimonio ejus non creditur, *c. Præsertim 27. h. t.*

12. Nam ratio in teste; dat esse ejus testimonio, & illud salvat vel destruit. Et ideo licet dictum ejus per se non probet, tamen ratio dicti reddita sufficiens probat: ut si dicat, Nihil scio, nisi quòd viderim contenta in articulo fieri. Contra verò, si dicat, Scio, quia audivi ab alio, iam deficit ratio & fundamentum sui dicti, nec probat: nam testimonium de auditu alicui regulariter est nullum, *cap. Licet §. 4. hoc tit. & dicitur ibi*, plus valere oculatum testem unum, quam auritus decem. Dico, de auditu alieno, quia si res sit perceptibilis auditu, & testis de proprio auditu deponat (ut si dicat, Sempiternum esse obligatum Sejo, quia audivit promittentem, *cap. 1. sup. De consuetudine*) probat, *cap. Tam §. 3. hoc tit.* Debet etiam ratio dicti esse separata ab ipso dicto. Et ideo, si deponat Testium mutuale Sejo centum, pro causa scientiæ dicere debet, quia vidi centum numerare ex causa mutui, non debet dicere, quia scio: nam tunc ratio esset eadem cum dicto, atque ita non probaret.

13. Notandum tamen testem non teneri reddere præcisè causam suæ scientiæ, nisi interrogetur expressè vel implicite, *d. l. Solam & ibi Bald. & colligitur ex d. c. Cum causam ubi communiter omnes*: quia testis verba sua esse non debet, nec respondere ad ea, de quibus non rogetur, *Felinus in d. c. Cum causam n. 1. §. 14.* Præterquam in causis criminalibus, & ubi agitur de factis, quæ solo iudicio intellectus percipiuntur, veluti si deponat aliquem esse sanæ mentis, esse divitem, esse dominum alicujus rei, habere jus decimandi, vel aliquo alio simile, quòd potius iudicio intellectus, quam aliquo sensu corporeo percipitur, de quibus late *Facinac. §. 70. Mascardus De probat. conclus. 1376.* Nam in iis etiam non interrogatus debet reddere rationem suæ scientiæ, *Abbas in d. c. Cum causam col. 3. & de supradictis non debet*



asserere, esset potius iudicare, quam testificari, quod ad testem non pertinet.

15. Similiter ad hoc, ut probatione facta per unum testem, deferatur juramentum suppletorium probationis, necesse est, quod testis ille, etiam non rogatus, reddat causam dicti sui seu scientiæ: alius non facit semiplenam probationem.

16. Examine testium ex parte actoris perductis ita factis, admittitur vicissim adversarius ad probationem eorum, quæ in personas testium, ab actore productorum, objecerit, si ante receptionem ad hoc non fuerit admissus. Et si ad hæc objecta probanda aliquos produxerit testes.

17. Permittitur rursus actori, ad fidem eorum coercendam vel minuendam, alios testes producere. Ulterius verò testium productio & reprobatio non est permissa. Et hoc est, quod dicti solent, testes probatorios & reprobatorios probatoriorum reprobare licere, non item reprobatorios reprobatoriorum, d. cap. Licet dilectus 49. hoc tit. ne ita litigatores vicissitudine probationum & reprobationum in infinitum progrediantur, ac lites protrahant.

18. His ita peractis, Judex partes litigantes, in sua præsentia constitutas, interrogabit, an plures testes producere velint: & si dixerint, se velle audiri erunt, c. Cum venisset 25. h. t. ut si forte timeat quis, ne audiri super articulis, super quibus eos producit, non satis pro se deposuerit. Admitti autem tunc poterit super iisdem articulis secunda & tertia productio, non verò quarta, c. in causis 15. h. t. nisi quartò producere perens affirmet iurejurando, se illud non petere dolo malo, neque se aliquo modo testificari subtraxisse, aut didicisse, sed quia eorum, quos nunc producere intendit, copiam antè habere nequiverit, c. Ultra penult hoc t. effixata enim & nimia multitudo testium à Judice reprobanda & inhibenda est, cap. Significaverunt 36 hoc tit. Quæ multitudo quadragenarium numerum super iisdem articulis excedere non potest, d. cap. Cum causam 37. §. volentes hoc tit.

19. Sin autem negaverint se velle plures producere, & ulteriori productioni renuntiaverint, petentibus utrimque litigantibus, non verò tertio aliquo vel altero tantum id petentem, c. Constitutum 30. hoc tit. Nisi altero absente,

citato tamen & contumace; Judex testium dicta & attestaciones publicabit, interloquendo hoc vel simili modo, *Dicta testium in hac causa publicamus, ea que pro publicatis & apertis habere volumus.* Facietque litigantibus potestatem habendi eorum copiam, & examinandi, intia competenti terminum, quatenus pro se vel contra faciant, d. c. in causis 15. in fine c. Significavit 41. & c. Albericus 43. hoc t.

20. Et dispiciant, quid adversus testes, contra se productos, scripto postmodum objicere possint; veluti quod obscure & confuse deposuerint, ut ex eorum dictis elici & declarari veritas non possit, c. Cum clamor 53. h. tit. adeoque obscure dictum pro non dicto habetur, l. De arate §. nihil interest D. De interrogat. adion. quod item in depositionibus sibi contrarietur & contradicant: testis enim contrarium suæ priori attestacioni postea deponentis, sine ulla vel erroris vel justæ causæ allegatione, testimonium nullum est, l. 2. D. hoc tit. c. Cum Ecclesia versic. nos igitur sup. De causa possess. & propriet. vel quod sint singulares, qui regulariter non probant, can. Nihilominus & ibi Glos. 111. quest. 9. c. Tam literis 33. & ibi Glos. in v. soli hoc tit. Vide plenè Gabriel. Com. conclus. lib. 1. tit. De testibus conclus. 2. ubi tradit; quando probent, vel non, quod nimirum vel falsum deposuerint, vel quod testimonium in aliqua sui parte falsitatis vitio laborans in totum reprobari debeat, Glossa in can. Si ad scripsimus Distinct. 9. & sic de similibus.

21. Denique publicatione attestacionum facta, super iisdem, vel directè contrariis articulis, in eadem vel alia instantia, iisdem vel alii testes produci nequeunt, c. Fraternitatis 17. & ibi communiter Interp. h. t. Covar. Pract. quest. 1. 18. n. 6. Sicut nec quando ulteriori testium productioni renuntiatum est, c. Inimicus 18. & c. Cum venisset 25. versic. Quæstiones h. t. Idque ob metum subornationis novorum testium. Hoc tamen fallit pluribus casibus: ut si is, qui alios testes producere cupit, non potuerit instrui ante publicationem, l. Ex tenore 36. h. tit. Item publicatione testimoniorum facta in iudicio summario, poterunt super iisdem articulis, vel contrariis; alii etiam testes produci in iudicio ordinario, c. Veniens 38. & c. Cum tua 44. h. t. & aliis, de quibus videri licet Gaill. lib. 1. Obser. 104.

22. Observandum etiam est, hanc publicationem



nem attestatorum non esse de substantia processus, secundum communem sententiam: ac proinde Processum ac sententiam, ea omissa vel denegata, latam, si appellatum non sit, valere, ac transire in rem iudicatam, Gaill, *d. loco num. 1.* quia eius omisio jus litigatoris laedit, non autem ordinem iudiciorum pervertit.

## TITULUS XXI.

### De Testibus cogendis.

1. Testes cogi possunt ad dicendum testimonium.
2. Idque vel captis pignoris, vel multa, vel per censuras.
3. In causis tum civilibus tum criminalibus.
4. 5. Satisfit objectionibus, quo ad criminales.
6. Quidam tamen cogi non possunt.
7. Nisi defectu testimonii aliunde veritas haberi non possit.

**T**ESTES auctoritate publica, id est iudicis & per personam publicam ad ferendum testimonium citari debent, *ca. 2. sup. De testibus.* Qui si moniti & citati legitime comparere refugiant, & vel odio, vel timore, vel alia simili de causa sese subtrahant, aut, licet compareant, testificari nolint, per iudicem vel ejus commissarium ad hoc compelli possunt. Idque obtinet utroque iure, *toto hoc titulo l. Si quando, cum Auth. seq. Codicis de testibus*; tum ob publicam utilitatem, ne veritas occultetur, in aliquis praedictum, *can. Quamquam XI. q. 2.* tum quia testimonium perhibere est munus publici; ad quod etiam invitus quis compellitur, *leg. cum ab initio, & ibi Glos. in V. cogat, & l. Sed si quis D. Quomodo testium aperiantur.* Imò adeò necessarium, ut quis repellatur à munere iudicandi propter actum testificandi, *c. Dilectio 40. sup. de testib.* quia facilius reperiuntur centum iudices, quam unus testis, Abbas *in d. c. Dilectionum. 3. ubi num. 10.* tradit praxim, qua quis possit in testem producere Ordinarium causae iudicem, quando ille sibi pro teste est necessarius. Videatur Gratianus *in can. Si testis §. si exigat v. q. 3.*

2. Compelluntur autem testes, secundum fori qualitatem, vel captis pignoris, vel multa instricta, *arg. l. 1. §. 3. in fine D. De instricto venire: vel per censuras Ecclesiasticas, videlicet suspensionem, interdictum, excommunicationem, aut depositionem, vel degradationem, c. 1. 1. §. 5. h. r.*

3. Et hoc quidem in causis civilibus indubitatum est, *c. 1. 2. 6. & 7. hoc tit.* An verd etiam in criminalibus cogi possint, non immerito quis dubitet, propter *c. 3. & 10. h. r.* Eoque magis, quod nemo debeat alterius secreta propalare, vel ei detrahere, deferendo alicui ejus delicta, *can. Ex merito vi. q. 1.* Aded ut tale quid faciens, actione in factum ad interesse, vel actione injuriarum conveniri possit, *l. Si quis testimonium §. sed et si quis D. ad Legem Aquil. & quandoque etiam falsi teneatur, lege 1. §. in qui D. Ad leg. Corn. de falsis.* Verius tamen est, & communiter obtinuit, etiam in criminalibus posse testes cogi dicere testimonium. Idque probatur per *ca. Pervenit. 4. §. 5. c. Super his 6. c. Cum contra hosti.* quia hoc non est alteri detrahere, sed veritatem dicere, non animo detrahendi sed veritatem detegendi: quam interrogatum à iudice celare, esset grave, imò mortale peccatum, *can. Qui per XI. q. 3. Glos. in c. 1. v. occultent hoc tit.* Expedit enim Reipubl. ne crimina maneat impunita, *c. Ut fame 35. inf. De sens. excommunicat.* Et ideo licet quis juraverit se non testificaturum, nihilominus ad id compelli poterit, juramento non obstante, *d. c. Pervenit 4. hoc tit. & ibi Glos. in l. i. §. i. §. 1. 8. sup. de testib.* quia tale juramentum non est obligatorium, quippe temerarium & contra bonos mores praestitum, *c. Non est obligatorium De R. l. in 6.* Potestque vocatus in testem & jurans, etiam propria auctoritate, & nulla praevia absolutione petita, juramento contraire absque ullo perjurii periculo, prout communis habet opinio, *in c. Constitutus 45. & ibi Glos. in V. teneri sup. De testibus lata Gaill. lib. 1. Obser. 100.*

Dixi vocatus in testem; quia extra eum etiam jurans non revelare secreta, si contra faciat, perjurus efficitur. Quinimò licet non juraverit, nefarie & improbe facit, secreta alterius propalando: adeoque actione in factum ad interesse vel injuriarum conveniri potest; & quandoque falsi teneatur, ut ante